



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

II. Cupienti benè vivere, morum instructor eligendus est. Qualis hic esse  
debeat. Officia discipuli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

transire incipiunt, malæ vitæ venenum prius evomere debent; ac tum, animo expurgato, solida virtutum percipere alimenta. Ipsa autem purgatio sic perficienda est, ut quotquot admisti peccata expientur, tum omnis erga illa affectus exuatur: vitiosi habitus eradicentur: malæ propensiones, & appetitus immoderati sub rationis imperio coercantur; caro castigetur: quæ corpori sunt necessaria, ad justum moderamen redigantur: frænum linguæ ac sensibus imponatur: quæcumque ad arcem virtutis properanti moram injicere possunt, penitus exterminentur. Quid trepidas, viamque tibi ad beatitudinem difficilem fingis? Tu te ipsum facere beatum potes, eo vires suppeditante, qui principium tuum, & finis est. A te autem debes exire, ut ad eum pervenias. Eò vicinior illi fies, quo à te ipso remotior fueris.

5. Proponendum est itaque primò, quid appetas, quò properes: tum, via circumspicienda, quâ summum illud bonum adipiscaris, intellecturus in ipso itinere, quantum quotidie proficias. Perlustra sedulo conscientiam tuam, & caligantes oculos aperiens solerter adverte, qualis debeas esse, dum alius fieri potes. Serò fraudem agnosces, cum vitare nequibus. Disce, quo remedio cupiditatum mansuescat insania, quo fræno timorum sævitia compescatur. Disce terrena despiciere, & ab his spontè discede, quæ diu tecum esse non possunt. Omnia relinque antequam relinquaris, ut cum venerit mors, nihil in te reperiat, quod possit abolere. Curam autem præcipuam animæ impende, ut quæ excellentiâ prior est, non sit cultu posterior. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Nullum est lucrum, ubi salutis est damnum.

CAPUT II.

*Cupienti bene vivere, morum instructor eligendus est. Qualis hic esse debeat. Officia discipuli.*

**N**ihil magis necessarium incipienti servire Deo, quam ut se regi, & institui ab optimo præceptore sinat. Quis enim iter ignotum sine duce aggrediatur? Quis difficillimam artem ediscat sine magistro? Paucos numerabis, qui seipsum protulerint, qui sine ullius adjutorio ad virtutem exierint. Quid universum fieri oporteat, & mandari absentibus potest, & posteris scribi.

Quandò autem, & quemadmodum quidpiam fieri debeat, ex longinquo nemo suadebit; cum rebus ipsis deliberandum est. Non potest Medicus per epistolam cibi aut pharmaci tempus præscribere: vena tangenda est. Ita etiam in curandis animi morbis quædam sunt, quæ non nisi à præsentem monstrantur. Paulus futurus Doctor gentium, postquam conversus à Christo fuit, missus est ad Ananiam, ut ab eo disceret viam vitæ. Durum & laboriosum negotium aggressus es, malignitatem naturæ vincere, cum spiritualibus nequitiis colluctari, & ad virtutem te ipsum perducere, inter tot obstantia & impedientia. Quare aliquem invocare oportet, qui manum porrigat adjutricem, qui ostendat pericula, insidias detegat, & in ancipiti pugna instruat ad victoriam. Sed dicis mihi. *Quem invocabo?* Virum fidelem & sapientem, qui velit & possit tibi prodesse: cujus reverentis occursum, non reformides: qui non castiget errantem, sed emendet: cujus vita plus oculis, quam auribus probeatur. Malè imperat, qui præcipit, & non facit.

2. Eum elige adjutorem, qui nemini aduleatur, qui se vulgi congressibus non inferat, qui nec divitum convivia, nec Principum aedes frequentet, qui tale aliquid habeat in vita, quale argentarius in pecunia; qui possit dicere, *Affer quamvis drachmam, ego eam discernam; affer quamvis affectionem, ego eam dijudicabo:* qui, tanquam probatus medicus, internas ægri tudines dignoscat, qui apta præscribat remedia ad omnes animi morbos depellendos. Talis sit, qui subtili examine omnium spirituum instinctus discernere, inter virtutes, & vitia discrimen ponere, omnium moribus servire sciat; qui omnes recessus & secreta mentis tuæ solerti consideratione perscrutetur: qui ab omni vitioso affectu immunis, lucro dumtaxat spirituali intentus sit: qui in spiritu lenitatis errantem doceat atque alliciat: qui omnes diaboli versutias & strategemata detegere, & eludere didicerit: cui denique non erubescas omnia mala tua pandere, omnia pectoris penetralia referare. Pars magna felicitatis tuæ erit, talem posse reperire.

3. Cum eo libenter sermonem habeas; quicquid pravæ propensionis, quicquid morbosæ qualitatis in te est, quicquid delinquis, quicquid etiam boni facis, quicquid cælitus immisissum tibi existimas, prudenti ejus discussioni committe. Sæpe illum deprecare, ut, si quem tibi notaverit turbulentum inhaerere affectum, indicare ne gravetur; idque frequenter faciat, nec redarguendi

vere.

verecundiâ impeditus vitia tua dissimulet. Quod si negaverit se aliquid in te deprehendere cœsurâ dignum, ne te protinus credas inculpabilem evasisse. Tacet enim, aut timens odium tuum, aut desperans emendationem. Tunc verò urge, & insta vehementius, & factis ostende, quantum proficere cupias. Incipe vitia apud illum deponere, ad ejus præscriptum mores exigere. Gaude fieri ab eo convitium tuæ pravitati, semperque ab ipso vel sanior redeas, vel sanabilior. Inter tot mala aliquid est, velle sanari.

4. Hæc sunt docentis & discantis mutua officia: ut ille prodesse velit, hic proficere. Ne ille proficit, vix quidpiam impedit, nisi discipuli refractarium ingenium, doctrinæ impatiens, & curationis incapax. Quidam enim innixi prudentiæ suæ, alterius sequi ducatum detrectant. Hæc omnia, inquit, quæ tu doces, jam scio. Quid prodest aperta monstrare plurimum. Interdum enim scis, & non attendis. Non docet admonitio, sed excitat memoriam, nec patitur elabi. Sæpe animus etiam aperta dissimulat: ingerenda itaque illi rerum notissimarum notitia. Nam virtus erigitur cum tacta est, & impulsiva. Alios retrahit malus pudor, vitium puerile, & viro indignum. Alii, quasi phrenetici, pertinaci silentio mala intus premunt, & Medico curationi intento indignantur. Suadet nimirum hanc noxiam taciturnitatem tartareus hostis, sperans perniciem asserere, quamdiu latet. Et corporis quidem ulcera, tamen pudibunda, omnium oculis exponere, ut curentur, non erubescis; animæ verò carcinomata studiosè tegis, ac si ea celare tollere sit; cum vix tamen fieri possit, quin vel te repugnante ipsa se prodant. Qui vulnus tegit, nunquam sanabitur.

5. Nunquid Medicus injuriam tibi facit, si tuum tibi morbum demonstrat, si periclitanti dicit: Malè habes, febricitas: hodie tibi abstinendum à cibo est, hodie aqua potanda? Imò pro beneficio laudatur, gratiæ ei aguntur, & referuntur. Si quis autem dixerit; Appetitiones tuæ æstuant, opiniones vanæ sunt, affectus immoderati; protinus exclamas: O facinus ferro & sanguine vindicandum! ò contumeliam nullo modo ferendam! Infelix! Quid tibi damni aut mali infert tuæ salutis studiosus monitor & instructor? Id scilicet, quod speculum deformi. Te talem tibi ostendit, qualis es. Corrige ergò quod ille arguit; compone mores, ablue sordes. Facile potes, si volueris omnium te oculis irreprehensibilem exhibere.

## CAPUT III.

*De purgatione à peccatis. Exuendus erga illa affectus, & vitia extirpanda. Nullum efficacius vitiorum remedium, quam mortis, & æternitatis consideratio.*

1. **A**B ultimo fine deviat homo, cum peccatum committit, quod est omnium malorum causa. Ab hoc semine nascitur quicquid cruciat: hoc veneno totus Orbis inficitur. Latet illud, dum fit, sed cum patratum fuerit, tunc intelliges quàm malum sit. Fuere, qui mortuorum corpora vivis jungerent, ut fetore torquerentur. Similis est in peccantes animadversio: alligatum est eis supplicium; non inveniunt quò evadant. Nisi aliquid patiaris, ne malum facias; plurimum patieris, quia fecisti. Vix concipitur prava actio, & jam puerpera est suæ pœnæ. Inde nata mors est, hinc succensa gehenna. Ab omnibus itaque flagitiis expianda conscientia, dolore, confessione, & satisfactione. Nec graviora dumtaxat evitanda, sed minima quæque & leviora; quæ tamen mortem non asserant, vires tamen sensum dissolvunt, & ad mortiferam labem disponunt. Quid autem interest ad naufragium, utrum navis uno fluctu operiatur: an guttatim subrepens aqua, & per incuriam spreta, ipsam impleat & submergat? Tanto majorem maculam ista inferunt moribus, quanto facilius poterant evitari. Quò hostis debilior est, eò gravior tibi ignominia erit, si ab illo vincaris.

2. Nunquam virtutes animo inferere poteris, & te in pristinum libertatis statum asserere, nisi exuas omnem affectum erga peccata, quantumvis minima; ne corpore in deserto, animo sis in Ægypto. Male tecum agitur, si post dimissam injuriam, post relictos turpes amores, adhuc malignis colloctionibus præstas auditum, adhuc terrenâ specie delectaris. Vicia autem & pravi habitus, qui deletâ culpâ in te remanent, tanquàm pessima peccati soboles, radicibus extirpari debent. Si solos ramos præcideris, servata radix emerget, & novi ex ea succrescent ramusculi iniquitatis. Dicis, te velle vitia excindere. Falsum est: non enim claudis vitis ostium, sed opponis. Dicis, te offendi turpitudine vitæ tuæ. Hoc credo: quis enim non offenditur? Homines mali vitia sua oderrunt simul & amant, atque etiam, dum